

starium in Josuam, post mortem auctoris solum prodit, Antverpiæ, 1575. Commentaria in aliquot capita Deuteronomii. Pleraque hæc opera continent *Critici sacri*, 2 edit. t. 2. Commentaria in Josuam, post mortem auctoris solum prodit, Antverpiæ, 1575. Commentaria in aliquot capita Deuteronomii. Pleraque hæc opera continent *Critici sacri*, 2 edit. t. 2.

IN JOSUAM MASI PRÆFATIO

Xenophon, communium rerum humanarum et bello et pace peritissimus vir, persuasum se esse scribit Cyri exemplo, qui Persa cum esset, maxime hominum, civitatum, nationum multitudini facile imperavit, ut de sententiâ suâ decederet, quâ ante existimaverat, hominem facilius quibusvis animantibus, quam hominibus imperare posse: jamque statueret, ne laboriosum quidem esse munus, homines regere, nedum, ut sic dicam, impossibile: modò ut arte quis id agat. Et sanè animi industriam plurimum conferre momenti, ad rectè, et faciliè etiam, gubernandos populos, cum ipsa ratio dicat, tum, quod ad propositum argumentum pertinet, ostendit Deus, quando successorem flagitanti ante suum excessum Mosi, respondet: Cape tibi Josuam filium Nun, virum in quo est spiritus. Nam spiritum dicere videtur animi industriam, perspicacitatem, prudentiam; sicut Malachias, cum Israelitarum redarguit intemperantiam, qui suæ libidini exemplum Jacobi opponere, cum dicerent, excellentiore eum spiritu præditum fuisse. Sed nobis Christianis persuasissimum esse debet, non tam humanâ prudentiâ homines bene feliciterque moderari hominibus, quam Christi nutu et gratiâ, qui est æterna Dei Patris sapientia, per quam reges regnant, et principes statuant que justa sunt. Atque haud scio, an illâ aliâ in re Dei curatio, quâ ille res humanas regit, quàm in imperiis appareat luculentius. Quis enim nescit, quantâ ambitione mortalium omnium animus, suo quodam instinctu, non solum vivendi libertatem, sed etiam aliis imperandi potestatem affectet? Qui fit ergo, ut non solum civitates, sed nationes etiam, et amplissimæ gentes se unius hominuculi imperio subjiciant, enjus sæpè ne nomen quidem per famam ad ipsas est allatum, nedum magnæ virtutes, nisi quia illum Deus suâ quâdam

taria in libros historicos Scripturæ Masius meditabatur, cum morte interceptus est. Zucarnare prope Clevisiam obiit die septimâ aprilis 1575, ætatis quinquagesimâ septimâ.

tenus majestate amplieavit, atque terrore simul et gratiâ reverendum à suis parentibus reddidit? Certè imperiorum regnorumque statum omnem prorsus ex Dei arbitrio pendere, non autem in mortalium esse manû, vel unius Daniel satis locuples, et certis testis est. Et ornet Xenophon suum Cyrum, quantis velit virtutibus, per quas illum existimet maxima sibi imperia vindicasse; nos ex Isaiâ accepimus, illum non nature suæ bonitate, aut animi sui prudentiâ, sed prorsus Dei consilio, ducto, ope tanta patravisse facinora. Sed quorsum ista? Nempe cum Josua maximum imperium, quod ille apud Israelitas, gentem cum primis pervicacem, per multos annos, ad vitæ suæ finem usque agitavit, explicare instituerim, ne quis vehementer admiretur, quibus tandem virtutibus fretus id ille perpetuo exerceret, et quidem temporibus difficilissimis, quando Mosen hominem divinum, toties non solum querellis suorum popularium, sed vitæ etiam suæ periculis objectum fuisse testata res est. Nimirum Deus ejus viri actiones omnes rectè, neque usquam impedito cursu dirigebat, cujus administratione volebat piorum hominum animis regnum filii sui Jesu Christi adiuturum, illoque vicissim se ad divinæ voluntatis ductum ubique sedulo applicabat. At Mosen, qui sentitiose, invia, et infirmæ per carnem legis, neque eò quò spectabat perducere valentis fuit administrator, mirabile non est, si cum plurimis difficultatibus luctari est passus. Est igitur hujus sacri commentarii, quem *Deo* præeunte conabimur explicare, argumentum Josuæ imperium, hoc est, sacra historia, complectens ea quæ populo Dei, à Mosis excessu, prope ad Judices usque, quorum primus fuit Othniel, acciderunt per annos complures, quorum summam rationemque suo loco explica-

binus. Inscrubitur autem Josuæ nomine, quia ejus, ut dixi, imperium agitur. Neque enim ille scriptor est, ut multis ostendemus argumentis, opportunis locis. Quare futilis, commentitiæque est veterum Judæorum sententiâ, quam in suo Talmude scriptam reliquerunt de sacrorum librorum auctoribus, his ferè verbis: Moses scripsit librum suum, et historiam Balaam, ac Job. Josua scripsit librum suum, et octo postremos versus, qui in lege habentur. Samuel scripsit librum suum et historiam Judicum, ac Ruth. David scripsit librum suum Psalmorum ex sententiâ decem senum, Adami, Melchisedech, Abrahami, Mosis, Heman, Jeduthun, Assaph, denique trium liberorum Coræ. Jeremias scripsit librum suum, et librum Regum, atque Lamentationes; Ezechias, et ejus familia res scriperunt vaticinationes Isaiæ, Proverbia, Cantica canticorum et Ecclesiasten. Viri synagoga magnæ scriperunt predicationes Ezechielis, et duodecim prophetas minores, ac insuper Danielelem, et volumen Esther. Esdras scripsit librum suum et genealogias libri Paralipomenon, usque ad eum locum, in quo suam ipse cognationem ostendit. Cætera absoluti Nehemias. Hæc ferè ad verbum Talmudici capio primo Baba batrà; quàm rectè ali judicent, Mibi certè ea est opinio, ut putem, Esdras, sive solum, sive unâ cum aequalibus, insigni pietate et eruditione viris, celesti spiritu allatum, non solum hunc Josuæ, verum etiam Judicum, Regum, alios, quos in sacris, ut vocant, Bibliis legimus libros, ex diversis annalibus apud Ecclesiam Dei conservatis compilasse, in eumque ordinem, qui jam olim habetur, redeigisse atque disposuisse. Quin ipsum etiam Mosis opus, quod vocant *ספר יהושע*, longo post Mosen tempore, interjectis saltem hic, illic, verborum, et sententiarum clausulis, veluti sarcinitum, atque omnino explicatius redditum esse, conjecturæ bonæ afferri facile possunt. Nam ut unam, exempli causâ, dicam, Cariath-Arbe sæpè illic Hebron nominatur et tamen hoc illi urbi nomen à Caleb filio Hebrone impositum esse graves auctores tradiderunt. Quapropter neque divus Hieronymus, in actione contra Helvidium, aliter de Pentateuchi scriptore sentire videtur. Cæterum priscis temporibus apud Ecclesiam fuisse diaria et annales, in quibus res gestas, ut quæque notata dignissimæ, ad doctrinæ sacræ propagationem utilissimæ videbantur, continuatâ serie inscribentur ii qui quoquo tempore elegantî pietateque præstantes in populo

Dei vivebant, satis docent, cum aliæ, quæ sæpè laudantur, quamvis jam intercederint, Regum historia; tum liber bellorum Domini, et liber Recti, in quo et Josuæ nostri, et Samuelis, Saulisque gesta fuisse inscripta certum est. Quin ipsa sacra littera eos tales annalium, sive diarium scriptores, *כְּתוּבֵי הַיּוֹמֵי*, appellant, hoc est, argutos, scitos, facetosque homines, et subtiles ac elegantes scriptores *רש"ל*, Maschal enim dicendi, scribendive genus est urbanum, ingeniosum, facetum, elegans. Nimirum isti, res omnes quæ memorabiles usquam in cœtu Dei eveniebant, prout magis, minibus insignes erant, partim ligatâ oratione, aliâ solutâ, conscribent. Quis, queso, non stultus, et stupidus existimet, Samuelem, cum Saulis se querentis ipsa verba esset recitaturus, sic esse præfatum: Eum qui hodie Propheta dicitur, vocabant olim Videntem, ac non potius hæc esse verba scriptoris res prices, et à suo seculo longè remotas narrantis? Verùm enim verò non est magnopere contendendum de scriptore, modò ut credamus, sicut ipsarum rerum gestarum, ita et verborum, per quæ ad nos illa sunt propagata, auctorem esse Deum, ut inde congruenter ad ipsius voluntatem vivendi normam discamus, perpetuamque ipsius de suo cœtu, et nostrâ salute providentiam propius agnoscamus, eoque ad ipsum magis magisque amandum, observandum, colendum excitemur. Sed ut priusquam propositæ historia verba aggredimur explicare, pauca repetamus, quæ extra hoc commentarium de Josuâ sunt sacris litteris prodita, fuit ipse genere Ephraimita, hoc est, ex dilectissimo Josepho prognatus, patre Nun, quem Græci diducto nomine in syllabas duas, *Νουν*, Nave, vocant. Fuisse autem eum inter suos tribules virum primarium, constat ex Numeris. Neque enim è Cades-Barne, nisi qui in quaque tribu principes erant, ablegabantur. De corporis quidem præstantiâ, nihil quod sciam est sacrâ narratione proditum. At animi vigorem imperio dignum fuisse, planum nuper faciebam, vel Deo teste. Porrò cooptavit eum Moses in suam familiam, idque, ut creditibile est, postquam rubi ostento monitus, in Ægyptum à Madiianitis revertisset. Quo tempore quadragenario minor ille esse non potuit, quod suo loco explicabimus. Sed profectò non sine celesti instinctu cooptavit, nimirum, ut qui Dei populum esset aliquandò reclusus, ipse prius ab omnium mortalium ætate optimo sanctissimoque imperatore regeretur. Qui enim

benè imperaturus est, ut benè aliquando paruerit est necesse. Quapropter etsi complures alios haberet ille ministros, qui in Numeris vocantur בְּרִיִּים, quasi electos illius pueros dicas, hunc tamen unum in rebus arcanis comitem adhibuisse, et conscium memoratur. Nempe isrà benignissimi Dei erga suam Ecclesiam liberalissimus amor, itaque hujus comitis semper ille prospicit, ut nunquam deesse ipsi bonos pastores ducesque patiat, sed maturè alios sufficiat post alios, nisi nos ipsi nostrà improbitate talibus indignos præstemus. Quam enim aliam Mosis causam fuisse existimabimus, adversus eos qui primi occurrebant, hostes Amalecitas, Josuam imperatorem dicendi, nisi ut Dei consilium, de futuro felicissimo hujus imperio, jam tum quadamtenus populo patefaceret, eoque ad spem meliorem, in rebus diversis, cum ceteram multitudinem, tum in primis Josuam ipsum excitaret? Certè Deus ipse, dum mox post pugnam jubet rem gestam, hoc est, victoriam non tam militari virtute, quam divinà ope partam, in scriptum monumentum referre, et singulariter in Josuæ aures indere, tantum non digito ostendit, cum esse, quem post Mosen ad rerum comunium gubernacula destinasset. Non ergo obscurum jam est, quid Mosen moverit, ut hunc unum quam ceterorum quemquam altius, atque ad Deum propius subduceret in montem Sinæum. Missus est deinde è Cades-Barne cum aliis undecim viris speculatum Chananeam, non quidem ut Mosis minister, sed ut inter suos tribules primus, et non tam Mosis, quam populi suffragio ad id munus delectus, quantum ex Deuteronomio apparet. Fuisset enim alioqui fides ipsius suspecta, cum ea referret que, ut heri sui Mosis pulchrè votis respondebant, ita populi universi, modò unum Calebum excipias, libidini planè adversa videbantur. Sed enim hic rursus animadvertenda est divina providentia; que ita et Mosis, et populi animos comparavit, ut Josuam, inter alios, hostilibus terræ situm, soli naturam, incolarum que urbium vires, et propugnacula exploratum mitteret, nempe, ut per regionem ante perspectam, exercitum ipse olim cautius ducere, et terræ ubertate, bonorumque omnium copiam subinde verbis proposità, suos animare milites sciret, atque adversus consideratos semel hostes audacià majore procederet. Nihil enim est, quod æquè vel præstantissimorum imperatorum virtutes impediatur, atque locorum et hostium ignoratio. Verùm

quantà et probitate, et animi magnitudine illud speculatoris munus sit ille exsecutus, ipsa testatur sacra historia, quæ in Numeris est descripta.

Porrò annos circiter quadraginta familiaritate intinã Mosis usum, atque de arcanis Dei consiliis, ut credibile est, satis edoctum, itaque quas diximus virtutibus populo spectatum, probatumque Josuam Deum tandem nominatim successorem Mosis designavit; cum hic, ut erat parentum amatissimus, sub vitæ suæ excessum, successorem aliquem supplex flagitare. Neque verò designavit modò nominatim, sed ad illas virtutes, quibus, ut dictum est, egregiè antè ornatus ille erat, per impositam Mosis manum, qui sollemnis semper fuit consecrationis ritus, eum addidit virtutum cumulum, quo tantum ille munus tenere, atque explere posset. Sed dices, Moses de suo populo post se sollicitus, ducem à Deo flagitans, nullo verbo Josuam præ quovis commendat: non igitur conscius ante fuisse videtur, quod nuper dicebamus, consilii Dei de Josuâ sufficiens. Atqui Moses prudenter Josuæ nomen tacet, ne per humanam gratiam eà ille auctus dignitate videri possit; sed Dei iudicio consilioque creatus, tum imperii majestatem apud populum illibatiorem obtineat, tum apud suum ipse animum, à quo ille amplificatus sit, propius semper reputet, eoque majore cum sedulitate et cautione officio suo fungatur. Illic etiam pertinet illa, quòd ipsum Deus, imposità Mosis manu consecratum, ut jam dixi, spirituque sapientiæ auctum, in ipso sacro tabernaculo cum Mose sistit, palàm ipsi illic, que opus sit, præcepturus; quòdque mox in nube, que circumfusa delubro hærebat, apparens, inspectante universo populo, multa ad utrumque verba facit, que in Deuteronomio leguntur. Sed quando ex sacris litteris certum est, fuisse tempus, cum ille, non Josua, sed Hosaas vocaretur, et hoc nomen cum priore commutatum à Mose esse, non fuerit fortassis à nostro argumento alienum, hæc de re paucis disserere. Igitur illud observatum est, nemini, in sacrà historia nomen consultò aut impositum ab initio, aut post eum altero nomine mutatum esse, quin magnæ conjuspiam rei, et singularis, que illo futuri esset, præsagium fuerit. Ut autem hoc exemplis propositis ita esse constet, decurrerem leviter per omnes Ecclesiæ ^{moderata}; et constitutiones, quas omninò sex, pro numero dierum, quibus universa hæc mundi machina est effe-

cta, alteram alteri successisse, mihi visus sum animadvertere. Ipsa enim beatam vendi rationem, quæ condito Adamo in Paradiso designata à Deo fuerat, ego primam Ecclesiæ politiam, et statum fuisse existimo. Illam verò, quam infelix Adam, propter peccatum Paradiso ejectus, ac mortalitate, et iis quæ hanc comitantur, ærumnis plurimis damnatus, in mundo, cum suis ad diluvium usque nepotibus, durissimè, et miscerrimè egit, secundam facio. In hârum autem utraq; antistes qui fuit, ipse Adam, quamvis non ex solo terreno corpore, sed divino etiam, et celesti animo, parte multò, quam illud est, præstantiore, compositus esset tamen ab humo, Adam, hoc est, homo statim ut conditus fuit, appellatus à Deo est. Quod nomen signum fuit, homines corporis studio atque cupiditati magis, quam animi deditos fore. Hoc autem nimio plus quam oportuit verum esse, quis est qui nesciat? Post illum secundus humani generis parens Noa, à quo tertius Ecclesiæ status initium cepit, cum recens natus esset, neque dum ullam de se singularis indolis spem præbere, præ tenellâ ætate, posset, angustissimo illo nomine ⁷⁷² Noa, hoc est, quiete, sive consolatione, vocatus est à parente suo Lamecho; quod nomen novam, et lætiorem mundi faciem polliceretur, mitigatà nonnihil terræ malignitate, quâ pro divinâ exsecratione affecta, mirâ contumaciâ adhuc mortalium labores fuerat frustrata. Et verò præsagium pulchrè eventus comprobavit, cum post diluvium Deus mundum instaurans, se non amplius exsecraturum terram, hominis causâ, promitteret, sed fore, ut perpetuâ vicissitudine, post se mentem messis, post frigus calor, post hyemem ætas succederet; cùmque ipsi Noa, et filiis benedicens, ipsos procreatâ sobole augescere, juberet; denique cum animalium feritatis rursus novum frenum sui verbi imponeret, et in summâ, cum post Adæ peccatum, novo fodere, veluti jam placitor, se humani generi primùm obligaret. Quoniam longitudo etiam spectatissæ hoc tam lætum Noe nomen equidem existimo; atque ejus potissimum sive consolationis, sive requietis, spem animis piorum jam tum proposuisse quâ in Christo, tanquam peculiari hostiâ, quæ irato patri genus humanum esset tandem aliquando reconciliatura, recumbere possent, ne amissæ in Paradiso felicitatis desperatione fatiscerent. Cùm porrò gradatim Ecclesiam suam clementissimus Deus ad perfectionem informans segre-

gare jam eam à reliquâ mortalium turbâ, per circumcisionis notam vellet, eaque de re quartam politiam institueret, sevocatò Abrahamo, quem ad id gratiò delegerat inter idololatrias degenatè, nomen quoque commutavit; et ejusmodi indidit, quo parens multarum gentium ille tutus ostenderetur, vir jam tum annos natus circiter centum, uxorisque nonagerie maritus, neque tamen ullius ingenue prolis adhuc pater. Sed sanè evenit, quod nomen promittebat. Nam, ut Ismaelitas, cæterasque ex uxore Ceturâ propagatas gentes, tanquam alienas, præteream, ipse duodecim tribus, totidem profectò populi potèere videri. Verùm hic quoque Augustinus aliquid tam fausto nomine prænuntium existimari debet, quod, ut illa Noæ requies, consoliatio, in postremâ Ecclesiæ constitutione esset eventurum, scilicet innumerabilem diversarum gentium ex toto orbe multitudinem Abrahamæ fidei vestigiis insistentem, quâ fide ille nondum circumcisus crederetur Deo, esse veluti in gentem nomenque Abrahamæ concessuram. Jam verò cum visum esset æternò Dei consilio, Ecclesiam, non modò resercti præputi signò ab reliquis hominum cœtibus separare, verùm etiam peculiari vivendi legibus, et religionis ritibus; eoque quintam moliretur ^{moderata}, cujus administrum facere Mosen constituebat; ejusce notionis nomine hunc insigniri procuravit, quod hæc obscurum liberandæ Ecclesiæ ex summis calamitatibus, et fluxâ religione, quibus malis illa tum in Ægypto laborabat, certissimum esset præsagium. Moses enim, aquis extractum significat, quarum natura fluxa est, quæque in sacris litteris miseriae atque ærumnas significat. Porrò cum neque hæc quinta, hoc est. ante ultimam proximam Ecclesiæ constitutio, quantumvis multis instructa legibus, beatam omninò suorum civium vitam efficere posset, neque ipsos ad amissam illam Paradisi felicitatem reducere, et proinde sextâ opus esset politia; que, utpote postrema, ab Hebræis, מְרוֹרָה, hoc est, dies novissimi, vocatur, et temporis plenitudo, cujus antistes non secundum legem constitutionis carnalis, sed secundum potentiam vitæ indissolubilis crearetur, voluit clementissimus Deus, hujus tam optabilis politia, et quæ inde post violatam primam, cæterarum omnium scopus fuerat, tantò maturius, tantòque certius præsagium populo suo exhibere, tum per nomen, tum per res gestas Josuæ, quantum ille qui Mosis principatu fuit

status, ob legum multitudinem difficultatemque gravior; hic verò alter exoptatissimus vicinior erat. Nam adhuc non nisi obscurissimè adumbratum fuerat figuris mysterium restituendæ celestis illius hereditatis per Jesum Christum, quam primus parens amiserat. Igitur Ioseam filium Nun in medium produxit; cumque celestis suo instinctu Josuam, hoc est, Jesum, vocari jussit, ut ille postremæ politicæ antisitem et administrum, Jesum Christum, non solum factis adumbraret, sed ipso etiam nomine clarè referret. Nam quem Hebræi, יְהוֹשֻׁעַ, Josuam vocant, eum à Græcis, Ἰησοῦς, Jesum hinc, nemo dubitare potest, qui sacram historia vel præteritis aspexit. Quòd enim Talmudici, et hos cæcos duces secuti Judei, servatoris nostri nomen, יְהוֹשֻׁעַ, sed præcisè et paucioribus litteris, יוֹשֻׁעַ, notant, id nefarii homines per contumeliam faciunt; et simul, ne, quem dixi, typum agnoscere cogantur. Quæ verò Petrus Galatinus, pro nomine יְהוֹשֻׁעַ asserendo prodidit, in opere Arcanorum catholica veritatis, ea parùm firma sunt. Utillud Judæicum, etsuperstitiosum, quod alii de accepto atque ascito ex nomine illo divino, quod יְהוֹשֻׁעַ vocant, nos quadrilitterum dicere possumus; elemento uno Jod, pro grandi mysterio factant. Quia Justinus philosophus, et scriptis, et sanguine sui fidei nostræ assertor, non dubitat apud Tryphonem suum, illa Dei ad Ecclesiam verba, quæ in Exodo Scripta sunt: *Ecce ego mitto angelum ante faciem tuam, et quæ sequuntur, atque his tandem verbis concluduntur, quia nomen meum est in ipso*; ista, inquam, verba non dubitat Justinus huic nostro Josue accomodare; ut qui Dei Christi Jesu nomine appellatus, populum perduxerit in terram patribus olim promissam. Et sanè non est absurda illa interpretatio, quanquam fatendum est, eadem dicta in Christum ipsum perfectissimè quadrare, ut in quo fuerit Dei nomen, hoc est, ipsa, ut sic dicam, Dei essentia, quæ nomine illo quadrilittero יהוֹשֻׁעַ Jehova quadamtenus significatur. Sic enim Paulus sensit, cum Christum fuisse diceret, eum qui Israelitis per desertum præibat. Nam usitatum est in sacris litteris, quæ de Christo ipso, deque ejus regno, ea simul aliis personis accommodare, quæ alium, καὶ ἀλλοῦ, adumbrant; tametsi hæc narrationis veritatem non usquequaque, tueri, ac sustinere possint. Sed ut eò revertamur unde sumus digressi, qualia modò veteris Testamenti

exempla, de nominibus consulte aut impositis, aut mutatis protulimus, talia in novo quoque plurima occurrunt. Simonem enim, Cepham à Christo esse vocatum, hoc est Petram, propter Ecclesie fundandæ mysterium, testatur divus Cyprianus. Et Joannes tonitru filius meritò est appellatus, qui aliquando plenus numine, oraculum illud celeste, quasi ex ipso æterni patris abditiissimo sinu, esset intonaturus apud mortales: *In principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum, etc.*, sed hæc satis sunt. Quid enim opus pluribus, in re non dubiâ? Porrò cætera quæ ad Josuam vel magnam indolem, vel imperandi felicitatem, vel denique personam in rebus gerendis, quæ Christum adumbravit, atinent, ea suis quæque locis in explicando hoc commentario ostendentur. Sed enim, postularet de more hic locus, ut conquesta et proposita, quoad ejus fieri posset, maximâ utilitate, quosvis ad præsentis libelli lectionem invitarem. Sed quando divus Paulus sacros libros universè omnes semel nobis satis commendavit, tanquam *thesaurum*; et à Dei spiritu dictatos, utilesque ad doctrinam, ad reprehensionem, ad correctionem, ad disciplinam justitiæ, denique ad ita comparandum hominem pium, ut ad omnem probitatem sit instructus, eruditusque ad salutem, quam per fidem, quæ Christo Jesu habetur, consequi possit, quâ utilitate nulla sanè major excogitari queat, non puto magnum opere pretium fore, si in eâ re prolixior sim; quare tribus hunc locum verbis expediam. Anni erant elapsi circiter quadringenti, ex quo Abraham primùm id promissum fuerat à Deo, quod hic jam ipsius posteris præstari videbimus; qui tamen interea tam dissimiles sæpè illi suo parenti fuerant, ut videri poterint operam multam dedisse, quæ se illis promissis facerent indignos. Primùm igitur in hæc historia, quasi in speculo, apparebit admirabilis Dei, in tuendâ veri sui veritate, constantia; potius enim immensâ bonitate adversus nostram contumacem viliositatem ille diu multumque decertat, quam sua promissa patiatur cadere ad irritum; quanquam esse non possunt illa quidem certè unquam, quoad ipsum, irrita, etsi à nobis interdum impediebantur. Atqui ne sic quidem prostris eventibus carent, sed novis quibusdam modis ab illo ad rem conferuntur. Sed hoc suo loco pluribus disputabitur. Præterea Josue persona nunquam non representabit nobis præcipuas, quæ bonum imperatorem decet, virtutes.

Quarum summa est, Deum in omni re religiosè consulere, à quo, ut diximus, principum omnium auctoritas dependet, et felicitas, rerumque gerendarum successus; quique solus novit quæ facta, aut non facta opus sint; eorumque benignè illos, qui se ritè colunt, admonet: cæteroque si, neglecto Deo, humana consilia illi sectentur, nihil certiora agant, quam si sortis casum. Denique illud etiam luculenter ostendetur, per probam religionem popularium, republicas maximè conservari. Ac proinde imperatorem, atque adeò principem quemlibet, debere non solum seipsum præstare probum piumque adversus Deum, verum etiam ut parentes sanctissimè Religionem tueantur et colant, procurare. Ad hæc, subiectur oculis universæ Chananae descriptio. Quæ, etsi ignotorum nomina multitudinè lectori molestior, quam utilior videri possit, mirificè tamen utilis, imò necessaria est, ad

CAPUT PRIMUM.

1. Et factum est (A) post mortem Moysi servi Domini, ut loqueretur Dominus ad Josue filium Nun, ministrum Moysi, et diceret ei:

2. Moyses servus meus mortuus est: surge, et transi Jordanem istum, tu, et omnis populus tecum, in terram quam ego dabo filiis Israel.

3. Omnem locum quem calcaverit vestigium pedis vestri vobis tradam, sicut locutus sum Moysi.

4. A deserto et Libano usque ad fluvium magnum Euphraten, omnis terra Hiethaorum usque ad mare magnum contra solis occasum erit terminus vester.

5. Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitæ tuæ: sicut fui cum Moysese, ita ero tecum; non dimittam nec derelinquam te.

6. Confortare, et esto robustus; tu enim sorte divides populo huic terram pro quâ juravi patribus suis ut traderem eam illis.

(A) Et factum est. Conjunctio et, quæ sic in principio nonnullorum librorum Scripturæ sacre legitur, indicat librorum horum connexionem. Ille monet librum Josue esse sequentiam historie quæ in Moysi Pentateucho continetur.

intelligendas rectè plurimas in sacris litteris historias. Sed hoc quoque suo loco dicitur explicatis. Postremò, hujus libri narratio, non tam Josue filii Nun res gestas, quam Jesu Christi sacramenta et economiam nobis proponit, ut ait Adamantius, et nos passim ostendemus, pro nostri ingenii mediocritate. Nam, ut ante diximus, Josua, et nomine, et rebus gestis Christum adumbravit, pulcherrimoque exemplo docuit, nos, quotquot Christo nomen dedimus, nisi per continuas difficilesque certationes adversus septem præcipua, quæ probitati nostræ perpetuò infesta sunt, vitia susceptas, celestem nostram hereditatem adipisci non posse. Sed hæc hactenus. Puto enim ex his perspicuum satis esse, maxime hunc sacrum commentarium abundare utilitatibus. Quare ad ipsam ejus interpretationem accedamus, virtute auspicio veri Josue, hoc est, Jesu Christi nitescentes, fidentesque.

CHAPITRE PREMIER.

1. Après les trente jours du deuil de la mort de Moïse, serviteur du Seigneur, le Seigneur parla à Josué, fils de Nun, ministre de Moïse, et lui dit :

2. Moïse mon serviteur est mort; allez, et passez ce fleuve du Jourdain, vous et tout le peuple qui est avec vous, pour entrer dans la terre que je donnerai aux enfants d'Israël.

3. En quelque lieu de cette terre que vous alliez, partout où vous aurez mis le pied, je vous livrerai ce lieu-là, selon que j'ai dit à Moïse.

4. Vos limites seront depuis le désert de Sin, du côté du midi, et le Liban, du côté du septentrion, jusqu'au grand fleuve d'Euphrate, du côté de l'orient; ainsi vous posséderez tout le pays des Hébreux et des autres peuples de la terre de Chanana, depuis la partie orientale jusqu'à la mer Méditerranée, appelée la grande mer, qui regarde le soleil couchant.

5. Nul de ces peuples ne pourra vous résister, ni à vous ni à mon peuple, tant que vous vivrez et que vous observerez avec fidélité la loi que je vous ai donnée. Je serai avec vous pour vous secourir, comme j'ai été avec Moïse; je ne vous laisserai point, je ne vous abandonnerai point.

6. Soyez ferme et courageux; car vous partagerez à tout ce peuple par le sort la terre que j'ai promise avec serment à leurs pères de leur donner.

7. Prenez donc courage et armez-vous d'une grande fermeté, pour observer et accomplir toute la loi que mon serviteur Moïse vous a